



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorum Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XCVIII. Gregorii Papae I. Ad Gallenicum Exarchum Italiae. De  
schismaticis ad ecclesiam redeuntibus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

ecclesiæ apud scripturarum peruersores cum cautela permanere consentit, & hoc nobis tua suggestione indicare non differas, vt qualiter illic consultum habere valeat, expensare auxiliante Domino disponamus. Sed & harum latores quemadmodum ad eundem episcopum suum veniant, tuæ concursionis sit atque solatii, vt venientes a nobis nihil minus sentiant.

## EPISTOLA XCVIII.

## GREGORII PAPÆ I.

AD GALLINICVM EXARCHVM ITALIÆ.

De schismaticis ad ecclesiam redeuntibus.

*Gregorius Gallinico exarcho Italiae.*

**A**PVD excellentiam vestram tanto nobis quæ petimus velut impetrata iam credimus, quanto & hoc quod petitur ab officio nostro non discrepat, & vos inter curas fluctuationum sæcularium æternæ quoque ex hoc cumulus retributionis expectat. Harum siquidem latores de Istria ad nos partibus venientes, schismaticorum, inter quos erant positi, vitantes errorem, vnitati ecclesiæ subdi salubriter cupierunt. Quorum boni intentionem operis perpendentes, in sinum matris ecclesiæ competenti cum exhortatione suscepimus, eosque nostræ desiderantes ecclesiæ militare grate concessimus. Præmissis quapropter excellentiæ vestræ paternæ salutationis affectu, petimus vt eos pro bono desiderii sui, quo ad apostolorum principis petram solidam concurrerunt, ne fluctuantium adhuc erroribus mixti naufragium desperatæ salutis incurrent, habere dignemini commendatos; quatenus ad propria remeantes, nullis propter hoc bonum quod appetiisse noscuntur peruersorum inquietudinibus perturbentur, sed magis in omnibus auxilium vestræ tuitionis inueniant, vt ex eorum quiete, aliorum adhuc in schismate positorum corda flectantur, atque horum per bonum vestri patrocini prouocati sequaces existant. Ad augmentum namque mercedis vestræ pertinet, si inter curas bellicas, sicut corpus ab exteriori hoste, sic animam ab interni infidiatoris impugnatione protegatis.